


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



380

378

384

374

389

369

429

329

479

279

369

plurimi post prandium ad littus navigabant et in monte ignem incendebant et in multis superstitiones antiquorum repraesentabant, qui in illo die Janum honorabant. Nam Janus, pater et deorum dominus cognominatus, vir utique perhumanus, bonus et summus hospitalitatis cultor, qui etiam Saturnum de Creta pulsum a Jove suscepit, et fuit ante Domini adventum 1560 annis ex orientalibus partibus veniens primusque in Italia regnavit et Janiculum haud procul a Roma condidit. Hunc opinio hominum inter deos retulit, quem posteritas interpretata ipsum quasi mundi aut coeli aut anni sive mensium Januam appellavit, cui Januarium mensem dedicaverunt eo, quod mensis ipse principium et anni finem respiciat, unde et bifrontem eum depingebant, cujus idolum hodie scio in quadam ecclesia esse positum, duplicem frontem habens in uno capite, scilicet faciem senis et tristis, et faciem juvenis et alacris. In hieme ergo vertunt vultum tristem ad populum, in aestate vultum laetum.

(b) Ob honorem ergo Jani multa ab antiquis fiebant, quae hodie sua vestigia habent apud plures. Unde prohibet ecclesia sub anathemate, quod hoc die propter novum annum nihil novi fiat ritu paganorum, ut habetur 26. qu. 7. c. Si quis etc. Et sanctus Augustinus in sermone Calendas Januarii invehit dure contra Christianos, qui diem illum in ludis celebrant et strenas dant.

Secunda die fuit facta tranquillitas in mari magna, et ideo soluta classe eam remis extra traxerant portum maximis laboribus usque maris latitudinem, modicus autem venit ventus, qui nos de Sebenniticis rupibus tulit, sed non duravit, post duas enim horas contrarius surrexit ventus, qui contra Apuliam nos ducere potuisset, sed subtractis ei velis contra montana Dalmatiae rostrum vertimus. A longe autem vidimus super collem signum securi portus et ad signum tetendimus, et montana ingressi per angustum districtum in portum delicabilem venimus, quem nominabant Larmolum, et ibi naves stabilivimus. Vix locum desertum ita delectabilem vidi sicut illum, nam mare ibi fuit profundum et parietibus altissimis rupium conclusum sicut piscina, demto angusto exitu, per quem aquae de mari intrabant et naves, et ita ordinata fuit interior mansio et rotunda, ac si ars humana lacunam ibi constituisset, et multo melius naturae conditor composuit istum portum; altissimis enim rupium parietibus cinxit locum, ita tamen,

Ende

Anfang